

Christoph Lippe von der Everhard Nigerdinus

Disputatio De Transactionibus


Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn728670607>

Druck Freier  Zugang



RU jurist. 22. Dez. 1610
Von der Lippe, Christ.



Disputatio
DE
TRANSACTIONIBUS,

Quam,

Divinâ aspirante gratiâ

Consensu & autoritate amplissima
facultatis Juridica in almâ Rosarum
Academiâ

I. D. 108. 7. PRÆSIDE

Dr. CHRISTOPHORO Von der Lippe

J. U. D.



publica discussioni subijcit

CHRISTOPHORUS NIGERDINUS

Storbrugensis VVeitphalus.

Decemb. in auditorio magno, initio
hora 7. matutina facta.

ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri
ANNO M. DC. X.



4 547 1610



AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS
AC CONSULTISSIMIS
VIRIS,

Dn. BERNHARDO
SCHARFFENBERGIO,
Consuli Reip. Rostochiensis
dignissimo:

Dn. THOMÆ LIN-
DEMANNO J. U. D.
& Academiae Rostochiensis
Professori publico,

*Patronis & fautoribus suis perpetuum
colendis*

Hanc de Transactionibus disputationem debita
gratitudinis & observantiae contestandae gratia
dicat & offert.

*Everhardus Nigerdinus
Respondens.*



THESIS I.



Um Reip. maximè interfit lites aut omnino non oriri, aut ortas tolli, multa ac varia earum expediendarum remedia à Juris nostri conditorib. inventa sunt, inter quæ transactionis remedium, ut difficilimum, sic & utilissimum haud immeritò numeratur.

II.

Et si autem in generali & laxa significatione transacta dicuntur, non solum de quib. controversia fuit; verum etiam quæ quocumq; modo componuntur & definiuntur: tamen strictius, magisq; propriè transigere dicuntur, qui inter sese lites finiendæ causa paciscuntur.

III.

Est enim Transactio de re dubia liteve incerta terminanda pactio non gratuita.

IV.

Transigere possunt, qui & consentire, & sanæ sunt mentis, licet corpus adversa valetudine laboret. Et hi vel suo vel alieno nomine transigunt.

V.

Suo nomine transigunt rerum domini, & qui alienandæ rei suæ potestatem habent.

VI.

Hinc minores curatores habentes, soliq; transigentes, nihil agunt: non habentes rectè quidem de re dubia transigunt, atque ipsis læsis, nisi jurata sit transactio, in integrum restitutione à Prætorè succurritur.

V I I.

Alieno nomine transigunt procuratores, tutores, curatores, &c.

V I I I.

Procuratores, si speciale mandatum habuerint, vel in rem suam dati sint, vel ipsis sive totorum bonorum, sive libera rerum administratio commissa fuerit.

I X.

Tutores, curatores, itemq; administratores civitatum & similes personæ, quibus magna ex parte commissorum bonorum interdicta est alienatio, quamvis transigere possint, tamen transigendo donare, aut jus liquidum remittere prohibentur.

X.

Pater circa bona filij emancipati, itemq; filijfamilias adventitia sine consensu ejus transigere nequit; nisi fortè in ijs causis, in quibus ei alienare licet.

X I.

De Vasallo, an transigere possit, non una omnium est sententia: magis est, ut decidendi causa rectè transigat, non etiam ut feudum ad alium transferat.

X I I.

Extra hos casus transactionibus jus cæterorum non facile læditur vel augetur.

X I I I.

Quare transactione, quæ inter hæredem & matrem defuncti facta est, neq; testamentum rescissum videri potest, neq; manumissis vel legatarijs actiones suæ ademptæ sunt.

X I V.

Sic nec pactio neq; transactio cum quibusdam ex tutoribus sive curatoribus facta auxilio cæteris est in his, quæ separatim communiterve gesserunt, vel gerere debuerunt.

X V.

Transigi porrò de re omni dubia & litigiosa potest: ideoq; cum.

cum de re judicata lis amplius non sit, de ea transigi quoq; non potest, modo vel appellationis, vel alijs remedijs dubia amplius fieri non possit.

XVI.

De controversijs quæ ex testamento proficiuntur, neq; transigi, neq; exquiri veritas aliter potest, quam inspectis cognitisque testamenti verbis.

XVII.

Quod an ad testamenta nuncupativa extendendum sit, quæritur? Id simpliciter affirmandum esse minimè putamus.

XVIII.

Sic inter se Dd. dissentiunt. An donandi causa pactio- nes inspectione & cognitione illâ omisâ fieri possint? Negamus.

XIX.

Nec minori dissensione quærent iidem: Utrum transigen- tes inspectioni & cognitioni verborum testamenti renunciare, possint? Neganti sententiæ iidem adfirmimus, nec juramen- tum, si quod accesserit, considerandum arbitramur.

XX.

De alimentis futuris ultimâ aliquâ voluntate relictis, nisi alimentarij conditio melior fiat, sine magistratus autoritate & causæ cognitione transigi nequit.

XXI.

Quod in tantum etiam verum putamus, ut ne quidem ju- rata talis transactio valeat; nec in pacto contrarium statuen- dum sit.

XXII.

De conjugio ad dissolvendum illud, transactio licita non est: ut nec de beneficio Ecclesiastico, eò quod Simonie spe- ciem continet.

XXIII.

Crimina capitalia, quæ sanguinis pœnam habent, singulari

jure transactionem recipiunt; ac proinde nec reus transigens pro confesso habetur, nec accusator pœna S^Ci Turpilliani coërcetur.

X X I V.

Dubitatur hic quando transactio hæc licita sit? Post judicium cæptum eam esse licitam inter omnes convenit: Quod jus & ad instituendam accusationem porrigendum rectè Donnellus contra alios docuit.

X X V.

Transactio verò solos transigentes concernit, fiscum, quominus accuset, & pœnam sanguinis exsequatur, nullatenus impedit, nisi abolitio petita, atq; ita omnis vindicta remissa sit.

X X V I.

De adulterio tamen transigere prohibitum est: quod licet olim capitale non fuerit, sed vel relegatione vel deportatione fit punitum: tamen postea ab Impp. constitutum est, ut nuptiarum sacrilegi gladio punirentur, eo interim non mutato, ut de crimine hoc transigi non possit.

X X V I I.

An de raptu transigere liceat, multa magnaq; est concertatio? Negamus.

X X V I I I.

De alijs criminibus publicis, quæ sanguinis pœnam non ingerant, transigere non licet, citra falsi accusationem.

X X I X.

Idem obtinet in privatis delictis, siquidem criminaliter agatur; quod si civiliter, integrum est reo transigere.

X X X.

Forma transactionis in eo consistit, ut non gratuitò fiat, sed aliquid detur, vel retineatur, vel promittatur.

X X X I.

Quod sit aut pacto nudo aut stipulatione Aquiliana accedente: idq; vel generaliter vel specialiter; purè vel cum conditione

ditione; juratō vel injuratō; cum pæna vel sine pæna; in judicio
vel extra judicium.

XXXII.

Transfatione ritè constitutâ non minorem ejus esse auto-
ritatem, quam rei judicatæ aut jurisjurandi placuit: ita ut liti-
bus finem imponat, nec ob ullam pacti pænitentiam, aut præ-
textu specierum instrumentorumve post reperorum, in dē
rescripto quidem Imperiali rescindi possit.

XXXIII.

Quod si major 25. annis ad versus pacta vel transfationes,
liberâ voluntate per juramentum firmatas, putaverit esse ve-
niendum, non solum notatur infamia, sed etiam actione pri-
vatur, præstitâ insuper pænâ, quæ transfationi factæ inserta
esse probatur.

XXXIV.

Si tamen ex falsis instrumentis transfationes initæ fuerint,
quamvis de his juramentum interpositum sit, falsitate eviden-
ter revelatâ retractantur: quemadmodum aliàs quoq; si evi-
dens calumnia, vel metus accesserit, transfatio servari non
debet.

XXXV.

An vero hujusmodi transfationes ipso jure nullæ sint qua-
ratur? Nos sub distinctione respondebimus.

XXXVI.

Planè si pars diversa contra placitum agere nitatur, & pars
altera idem desideret, causa ex integro agitur, & si quid datum
vel acceptum sit, recipitur & restituitur.

XXXVII.

Cæterum si transfatio in placiti sine steterit, ad exceptio-
nem tantum prodest.

XXXVIII.

Sin verò datione vel remissione litis ab una parte effectum
sumpserit, ad implementum transfationis præscriptis verbis;
vel.

vel etiam stipulatus actione, si placiti servandi causa stipulatio
adjecta fuerit, agi potest.

XXXIX.

Deniq; si pænali stipulatione firmata fuerit transactio, eâ
commisâ simul pænam petere & transactionis commodo
quis frui non potest, nisi clausula, rato manente pacto, ad-
jecta sit.

Corollarium.

*An propter læsionem ultra dimidium vere
estimationis rescindi transactio possit: Ac pro-
inde remedium l. 2. C. de rescind. vendit. locum in
ea habeat? N.*



cum de re iudicata lis amplius non sit, de ea transigi potest, modo vel appellationis, vel alijs remedijs fieri non possit.

XVI.

De controversijs quæ ex testamento proficere possunt, transigi, neque exquiri veritas aliter potest, quam in testamento verbis.

XVII.

Quod an ad testamenta nuncupativa exteri quæritur? Id simpliciter affirmandum esse minime.

XVIII.

Sic inter se Dd. dissentiunt. An donationes sine inspectione & cognitione illa omissa fieri possunt. Negamus.

XIX.

Nec minori diffensione quærent iidem: Ut in rebus inspectioni & cognitioni verborum testamenti possint? Neganti sententiæ iidem adhaerimus, si quod accesserit, considerandum arbitramur.

XX.

De alimentis futuris ultimam aliquam voluntatem alimentarij conditio melior fiat, sine magistratus causæ cognitione transigi nequit.

XXI.

Quod in tantum etiam verum putamus, ut si rata talis transactio valeat; nec in pacto contrarium sit.

XXII.

De conjugio ad dissolvendum illud, transactio est: ut nec de beneficio Ecclesiastico, eodem quod in eadem continetur.

XXIII.

Crimina capitalia, quæ sanguinis pœnam habent.

A 3.

